



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Carolo Sevino XVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](#)

NON satis fuerat veterum tuorum magnitudo meritorum, nisi me nouo beneficio obligasses. Cum me tantis laudibus oneras, fortasse hinc expectans quam gratius epistola aliqua tibi videri possim. Ego vero tantum abest, ut gratias agam, ut sum in opere contendendum mihi arbitrer, quo pacto in eam rationem, ut te ab eiusmodi officio ac potius pietate absterram. Quamobrem institueram prius cum animo meo totam illam tuæ epistolæ partem dissimulare, ni candor orationis tuæ ita in animo meo insedisset, ut nunquam illa obliuione deleri posse videretur. deinde malebam vel isto argumento quamplurimas abs te literas mitti, quam cum materia te defecisset, tuam illam purissimi sermonis elegantiam desiderare. Itaque quantum oneris sententiae illæ tuæ pro laudibus meis afferabant, tanto magis subleuabar ope facundiæ tuæ, quæ tanta erat, ut me mihi raperet ad ea de me iudicandum, quæ ne mediocriter quidem vñquam in meipso cognouisse. Siue igitur amor est, qui te sui similem fecit, ut minus perspicaciter intuerere, non penitet me fal-

sam hanc de literulis meis opinionem tam  
grandi munere pensari : siue in tam asylata  
caussa facundiam tuam experiri malueris,  
nihil mihi amabilius fuit, quam tale peri-  
culum in re tam nihili pernoscere , quod  
quouis argumento antehac animo meo  
metitus fueram.Libellis tuis , quos ad me  
misisti, quominus nihil mihi iucundius at-  
que gratius sit,multa in caussa sunt. Au-  
to-  
remne muneris dicam? an comitem episto-  
lam? an argumentum ? an rei nouitatem?  
præsertim cum improvisus, tali morbo de-  
præhendi amplius non possim. Quod de  
oratione mea scribis , scito exscriptam esse  
multa lucubratione L. Stephani contuber-  
nalis nostri , sed infelici diligentia : ita er-  
roribus ac mendis scatet.ob eam rem veri-  
tus sum cuiquam cam operam committe-  
re , cui ego non præcessem. Tribus igitur  
exemplis primo quoque tempore Lute-  
tiam mittam , vbi edendam publicis for-  
mis etiam curabimus. Cum iis baccha-  
nalibus habere in manibus libellum epi-  
grammatum tui amoris monumentum ,  
venit in mentem Epigrammatis , quod  
adolescenti in Germania exciderat. id , ut  
cætera , quæ in eo libro insunt ex Græco-  
rum argumentis , ita ductum est ex Theo-  
criti

criti lusibus. Id tibi, quoniam nunc non est,  
quod a me feras, habeas velim ea lege, ut  
cætera, quæ a me proficiscuntur, quæ au-  
tiora atq. castigatoria redeant. Vale. Agen-  
ni Cal. Martiis.

*Iulius Cæsar Scaliger.*

THEOCRITI CERIOCLEPTES.

Dum cellas vexat digitis, furtimq; puilla  
 Surripit argutus mella Cupido manu:  
 Parca operis vindex digitorum summalatronis  
 Iracunda fero vulnere fixit apes.  
 Ille manum rapit, ac terram suadente dolere  
 Pulsat, & accensam corripit ore manum.  
 Atque inter lacrymas ostendit vulnera matri,  
 Mūssans obliquis multa supercilii,  
 Quodque adeo tenui senisset barbara telo,  
 Parua foret validi vulneris auctor apes.  
 Cui mater ridens, Ne te his incesse querelis.  
 Tu quoque tam parvus vulnera quanta facis?

IVLIVS CÆSAR SCALIGER

GVIDONI GOLARDO BRASSACO REGIO IN

Senatu Burdegalesi Consiliario. s.d. XVII.

Qvod perlibenter feci, Guido Golarde,  
 Ut tui memoriam perpetuo colcrem:

F 3                    hoc